Numerus 10 – Anni II
:: December 1925 ::

Roma (30) – Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

Sancti, Beati, Venerabiles ac Servi Dei ex Sodalitate Mariana

P. Augustinus Lamprecht magno cum labore composuit elenchum eorum Sodalium, et Directorum Congregationis Marianae quibus coelitum honores aut dati sunt aut parantur. Quem elenchum huc transcribimus.

I. Sodales Sancti

S. Petrus Canisius, S. J. † 1597, Director primae Congregationis Marianae Friburgi Helvetiae 1581.
S. Joannes Berchmans, S. J. † 1621, Sodalis Mechlini.
S. Franciscus de Sales, † 1622, Sodalis Lutetiae Parisiorum.
S. Petrus Fourier, † 1640, Sodalis in Pont-à-Mousson.
S. Joannes Franciscus Regis, S. J. † 1640, Sodalis in Beziers.
S. Petrus Claver, S. J. † 1654, Sodalis Barcinone.
S. Joannes Eudes, † 1680, Sodalis in Caen.
S. Franciscus de Hieronymo, S. J. † 1716, Sodalis in Taranto et Neapoli.
S. Leonardus a Portu Mauritio, † 1751, Sodalis Romae.
S. Joannes Bapt. de Rossi, † 1764, Sodalis Romae.
S. Gabriel a Virgine Perdolente Possenti, † 1862, Sodalis Spoleti.

II. Sodales Sanctae.

S. Theresia a Puero Jesu Martin, † 1897, Sodalis in Alençon.
S. Magdalena Sophia Barat, † 1865, fundatrix multarum Sodalitatum.

III. Sodales Beati.

a) Martyres:

B. Edmundus Campion, S. J. † 1581, Director Pragae.
B. Robertus Johnson, S. J. † 1582, Sodalis Romae.
B. Rudolphus Acquaviva, S. J. † 1583, Director Romae.
B. Petrus Berni, † 1583, Director Romae.
B. Marcus Körösi (Crisinus) † 1619, Sodalis Viennae et Graecii.
B. Joannes Sarkander, † 1620, Sodalis Olomucii, Pragae et Graecii.
B. Carolus Spinola, S. J. † 1622, Sodalis Nolae, Director Mediolani.
B. Camillus Costanzo, S. J. † 1622, Sodalis Neapoli.
B. Joannes de Brébeuf, S. J. † 1649, Sodalis in Gallia.
B. Andreas Bobola, S. J. † 1657, Director in Wilna.
B. Joannes de Britto, S. J. † 1693, Sodalis Ulissipone.
B. Petrus Aloisius Chanel, † 1841, Sodalis in Meximieux.
B. Theophanes Vénard, † 1861, Sodalis Lutetiae Parisiorum.

b) Confessores:

B. Joannes Juvenalis Ancina, Episc. † 1604, Sodalis Taurini et Romae.
B. Bernardinus Realino, S. J. † 1616, Director in Lecce.
B. Carolus da Sezze, † 1670, Sodalis in Sezze.
B. Gregorius Card. Barbarigo, † 1697, Sodalis Romae.
B. Ludovicus M. Grignon de Monfort, † 1716, Sodalis in Rennes.
B. Antonius Baldinucci, S. J. † 1717, Sodalis Florentiae, Director Romae et in Frascati.
B. Gasparus del Bufalo, † 1837, Sodalis Romae.

IV. Sodales Beatae.

B. Julia Billuart, † 1816, fundatrix plurium Congregationum.

B. Maria Bernarda Soubirous, † 1879, Sodalis in Lourdes.

V. Sodales Venerabiles et Servi Dei.

a) Martyres :

P. Jacobus Salès, S. J. † 1593, Sodalis in Bellom.
P. Joannes Cornelius, S. J. † 1594, Sodalis Romae.
P. Robertus Southwell, S. J. † 1595, Sodalis Romae.
P. Horatius de Vecchi, S. J. † 1612, Director in Arauco.
P. Martinus de Aranda, S. J. † 1612, Director in Arauco.
P. Joannes Ogilvie, S. J. † 1615, Director Olomuci.
P. Gasparus Paez S. J. † 1635, Director Goae.
P. Joannes Pereira S. J. † 1635, Sodalis Ulissipone.
P. Hyacinthus Franceschi S. J. † 1638, Sodalis Florentiae.
P. Bruno Bruni S. J. † 1640, Sodalis Romae.
P. Antonius Capece S. J. † 1642, Sodalis Neapoli.
P. Cornelius Beudin S. J. † 1650, Sodalis in Bergues (Flandriae).
P. Guglielmus Harcourt S. J. † 1679, Sodalis in St. Omer.
P. Julianus de Lizardi S. J. † 1705, Sodalis Villagarciae.
Ferdinandus Hamer, Episc. † 1900, Sodalis in Kuilenborg.

b) Confessores :

Alexander Luzzago, † 1602, Sodalis Mediolani.
P. Jacobus Rem S. J. † 1618, Director Dilingae, Monachii, Ingolstadii.
P. Joannes Sebastiani de la Parra S. J. † 1622, Director Limae.
P. Leonardus Lessius, S. J. † 1623. Director in Luttich.
P. Georgius Giustiniani S. J. † 1644, Director Romae et Bononiae.
P. Vincentius Caraffa S. J. † 1649, Sodalis et Director Neapoli et Romae.
Michael Le Nobletz, † 1652, Sodalis in Agen.
P. Ludovicus La Nuza S. J. † 1656, Sodalis Palermi.
Bartolomaeus Holzhauser, † 1658, Sodalis Ingolstadii.
P. Stephanus Lefèvre S. J. † 1659, Sodalis Avinone.
P. Joannes de Alloza S. J. † 1666, Director Limae.
P. Franciscus de Castillo S. J. † 1673, Director Limae.
P. Claudius de la Colombière S. J. † 1682, Director Lugduni.
P. Julianus Maunoir S. J. † 1683, Sodalis in Rennes.
Innocentius XI. Papa, † 1689, Sodalis Romae.
P. Philippus Jeningen S. J. † 1704, Sodalis in Eichstaett.
Hieronymus Berti, † 1714, Sodalis Romae.
Joannes B. Dronce, † 1726, Sodalis Romae.
P. Franciscus M. Galuzzi S. J. † 1731, Director Romae.
Joannes Franc. Tenderini Episc. † 1738, Sodalis Romae.
P. Petrus Cayron S. J. † 1745, Sodalis in Rodez.
P. Hermannus Glandorff S. J. † 1763, Sodalis in Osnabrueck, Director in Juelich.
P. Josephus Pignatelli S. J. † 1811, Sodalis Caesaraugustae.
P. Aloisius Solari S. J. † 1829, Sodalis in Chiavari.
P. Vincentius Romano, † 1831, Sodalis Neapoli.
P. Vincentius Pallotti, † 1850, Sodalis Romae.
Guglielmus Ios. Chaminade, † 1850, Sodalis in Bordeaux.
P. Paulus Cappelloni S. J. † 1857, Sodalis Romae.
Joannes Nep. Tschiderer Episc. † 1860, Sodalis Tridenti.
Leo Dupont (advocatus), † 1876, Sodalis Parisiis.
Pius IX. Papa, † 1878, Sodalis Romae.
Franciscus Ios. Rudigier Episc. † 1884, Sodalis in Brixen, Feldkirch, Linz.
Paschalis Attardi, † 1893, Sodalis Neapoli.
Fr. Conradus de Parzham O. Cap., 1894, Sodalis in Altoetting.
P Franciscus Tarin S. J. † 1910, Director Hispali.
P. Guglielmus Eberschweiler S. J. † 1921, Director Aquisgrani.

VI. Sodales Venerabiles feminae.

Camilla Borghese, † 1685, Sodalis Romae.
Maria Clotildis, Regina Sardiniae, † 1802, Sodalis Romae.
Bartolomea Capitanio, † 1833, Sodalis in Lovere (Brescia).
Ludovica Vencentia de Montaignac, † 1847 Sodalis in Montluçon.
Carolina Carré de Malberg, † 1885, Sodalis in Metz.
Maria a Corde Jesu Droste zu Vischering, † 1899, Sodalis in Riedenburg. (1)

(1) Supplementa et correctiones, si quae sunt, grato animo accipientur. — *Ed.*

P. J. M. Knell gratias agit iis omnibus qui signa postalia mittendo Scholae apostolicae et Missionibus Sinicis subvenerunt. Precatur, ut pergant RR. PP. Sodales hortari ad signa postalia ei mittenda, pro quibus vicissim ipse mittet alia, et indicit Linzii pro hac re mox centrum quoddam signorum postalium instituendum esse. Inscriptio est: P. J. M. Knell, Jesuitenkolleg Freinberg, *Linz a D.*, Austria.

QUAESTIONES PRACTICAE

De regno sociali Iesu Christi seu de Christo societatis humanae Rege certe etiam Directores nostri ad Sodales dicent. Qua occasione iterum inculcare poterimus Sodalitates nostras ex asse aptas esse, quae ad societatem regno Christi recuperandam operam navent utilem. Ut enim Societas nostra non iniuria dicitur orta e meditatione Exercitiorum de regno Christi, ita etiam Congregatio nihil est nisi laicorum societas regnum Christi sub Mariae labaro propagare desiderans.

Materiam allocutionis facile praebent tempora nostra. Quid enim clarius cernitur ubique quam ruina societatis Christum obliviscentis? Quid intestina gentium sive bella sive serpentia odia indicant, quid classium socialium immania luctamina, quid dissoluta vitae familialis compago, nisi abesse necessario pacem atque ordinem, ubicumque Christi leges et suave imperium ab humeris discolorum discutiantur? Contra, quam facile pax, iustitia, amor instaurantur, ubi Regis nostri principia, praecepta, auxilia pronas hominum ad vitia mentes cohibent, leniunt, elevant! Unde legimus nuper vel Praesidem Statuum Foederatorum in America, C. Coolidge, qui Protestans est, publice fassum esse, rempublicam nisi religione in animis populorum integra sospitem firmamque esse non posse. Addant igitur Sodales nostri animum, sese imprimis regni Christi incolas strenuo labore forment, deinde non contenti sua salute, ad societatem humanam Christo et felicitati recuperandam sese accingant. Quid nostri Sodales, decies centena millia septies numero superantes, efficere hac in re possent, si numero eorum par etiam fervor et labor responderet!

An interstitium vitae sodalitiae Sodalitatem iuridice exstinguat? Quaerit quis: " In Seminario minore episcopali Congregatio 5 vel 6 abhinc annis dissoluta est, eo quod Episcopus ob parvum numerum Seminaristarum hos in Seminarium alterius urbis transmiserat. Nunc tamen reditus fit ad Seminarium minus. Exsurgit igitur quaestio, num denuo Congregatio erigi et aggregari debeat, ut iuridice esse pergat, an sine ambagibus cum Seminario restituta sit censenda? "

Resp. Si Congregatio non erat formaliter ab auctoritate erigente deleta et canonice suppressa, esse iuridice pergit, etiamsi per annos physice non exsistebat; quare sine ambagibus vitam continuare potest, dummodo Director a legitima auctoritate nominetur. Quae auctoritas, si Seminarium episcopale nostrae curae est commissum, sunt Superiores nostri, si vero a Sacerdotibus saecularibus administratur et solam Sodalitatem in eo Nostri dirigunt, est Episcopus.

De circulis restrictis in Congregatione.

A Patre quodam rerum sodalitiarum peritissimo hanc communicationem accepimus:

" Videmur in contradictione quadam haerere circa *selectionem* in admittendis Sodalibus observandam. Urgemus enim ex altera parte in Congregationem nonnisi optimos admittendos esse, verae sanctificationis studiosos, totosque apostolatui deditos. Ex altera autem parte tamen conamur quam plurimos admittere, non dico indignos (absit!), sed certe non tales qui stricto sensu re quisitis supradictis correspondeant. Nec carpenda haec liberalitas mihi videtur, quia certe aliqua specialis organisatio religiosa convenit fervidioribus omnibus. Sed tunc nihil peculiare restat pro *fervidissimis*, quos tamen retinet et impedit multitudo eorum sociorum, qui fervidi utique sunt, sed magis mediocriter tantum... "

Difficultas, quae hic exhibetur, non raro sentitur, eritque utile verbulum dicere de distinctione illa inter mediocriter ferventes et ferventissimos. Quae distinctio certe adest; adest etiam difficultas his posterioribus aliquid speciale praebendi, et impediendi, ne mediocritate plurimorum ab eo progressu retineantur quem facere possunt, tam in virtute quam in apostolatu.

Quam difficultatem senserunt iam antiquae Congregationes, ipsaque Romana; eique ut obviam irent, circulos quosdam restrictos (" ristretti ") in ipsa Congregatione instituerunt. Erant e. g. Romae per aliquod tempus 12 Sodales selectissimi, qui maiore cum nisu in vitam spiritualem et actionem apostolicam incubuerunt, curaque singulari a Directore protecti sunt. Ut autem omnis aemulatio honoris excluderetur, Sodales reliqui nihil de hoc circulo interno sciverunt.

Iam simile quid instituere quivis Director potest, si Sodales quosdam vere studiosissimos inter suos habet. Sic certe facillime satisfit desiderio utrique: et patefaciendi Congregationis portam fervidis, etsi non fervidissimis, et peculiarem curam impendendi iis, qui et virtutis amore, et apostolico ardore et dotibus utrique fini servientibus abundent.

Una an duae? " Habemus hic (sic quidam Pater scribit) *unam* Congregationem viris et feminis simul destinatam. Attamen habemus *duo* diplomata, duasque aggregationes, sed non dicitur utrum fuerit altera virorum, altera mulierum. Videtur ergo hic duplex Congregatio coaluisse in unam. An legitime? Et quid faciendum?"

Respondemus: Securius est erigere et aggregare denuo sive unam sive duas.

Valentne aggregationes suppressa Societate factae? Tempore suppressae Societatis Congregatio quaedam anno 1806 aggregata est Primae Primariae. Valetne haec aggregatio, an nova sit petenda?

Respondemus: Videtur omnino valere, iuxta ea quae habet E. Mullan num. 141, proinde non est necesse novam aggregationem petere.

An opera nostra a Congregatione dependere debeant? Aliquis Pater optat, ut omnia nostra opera seu Associationes, quantum fieri potest, a Congregatione et Apostolatu Orationis tamquam Sectiones dependeant, neque independenter ab his instituantur. " Hoc modo inquit, non sine fructu ac magna cum facilitate habeo in Congregatione Filiarum Mariae Sectiones eucharisticam, catecheticam, boni preli etc. (12 Sectiones), imo *bonae mortis*, magno concursu populi qui adiungitur Sectioni ". Certe bonum est opera nostra aliquatenus unire et Congregationem Marianam velut fundamentum quoddam ceteris substruere. Nec tamen id pro adagio haberi aut praescribi potest, ne unquam habeatur opus in se independens, maxime ubi de multitudine colligenda agitur.

CHRONICA

Congressus generalis nonus Directorum Sodalitatum Marianarum in domo Exercitiorum Loyolae, in **Vught (Neerlandia)** die 14 Octobris habitus.

Die 14 Octobris hujus anni convenerunt Directores Sodalitatum Marianarum Provinciae Neerlandiae in Vught ad discutiendas quaestiones actuales de Sodalitate.

Cuius Congressus programma istud erat:

H. 11,30: PRIMA SESSIO GENERALIS. Themata:

1) **Conspectus generalis actionis et progressus Sodalitatum in Neerlandia**. Disseruit Jacobus *Mulder*, S. J. Secretarius Congregationum in Neerlandia.

2) **De Statutis Sodalitatis Marianae.** Disseruit Th. *Appelmann*, S. J., Director Congregationis in Nijmegen.

H. 12,30: Prandium commune.

H. 2: SESSIONES SECTIONUM. *Thema: Quaenam methodus sacerdotibus et Directoribus sequenda videatur, ut iuventutem iam a scholis exeuntem in Sodalitatem Marianam uniant,* in studio propriae sanctificationis adjuvent, veros apostolos laicos efficiant; ita tamen ut Sodalitas Mariana maneat unio pure religiosa juxta statuta.

Sectio Prima: *De Congregatione iuvenum urbana.* Retulit P. A. *Hoogstraten*, Director Congregationis in Amsterdam.

Sectio Secunda: *De Congregatione iuvenum rurali.* Retulit R. D. L. *Poell*, Parochus et Director Congregationis in Gemert.

H. 3,30: Pausa et Haustus.

H. 4: SESSIO GENERALIS ALTERA. Themata:

1) **De Praeside seu Directore Sodalitatis**. Disseruit Rev. D. G. *Van der Heijden*, Director Congregaionis in Tilburg.

2) Allocutio finalis.

***

Theses quae discussionum fructus erant, hae acceptae sunt:

De Statutis Congregationum Marianarum.

1. Congregationis Marianae indoles singularis et labor apostolicus vere fructuosus debetur Regulis Sodalitatis Marianae.

2. Regulae illae in omnes Sodalitates Marianas, nulla excepta, introducendae sunt, sedulo applicandae et diligenter observandae (Decretum Illustr. Epp. Neerl.).

3. Quare prae ceteris oportet Directorem Sodalitatis ejusque consilium regulas bene cognoscere et serio operam dare, ut apris mediis observantiam exactam et applicationem diligentem Regularum in sua quisque Congregatione urgeant et promoveant.

4. In Regulis exsequendis et applicandis debita ratio habeatur diversae indolis singularum Congregationum.

De Congregatione iuventutis urbanae.

1. Ut iuventus in urbibus e scholis exiens in Congregationes Marianas uniatur, curandum strenue est, ut Sodalitas iuvenibus grata sit et appetibilis.

2. Tam sanctificatio sui quam zelus animarum, quae duplicem finem Sodalitatis Marianae constituunt:

a) pueris puellisque talis aetatis, praecipuo modo necessariae sunt;

b) ideoque summopere a Directore foveantur necesse est.

3. Quae si recte exsecutioni mandentur, non tantum in Congregatione Mariana, sed etiam in aliis unionibus iuventutis (Patronatus, Associationes Iuvenum et Virginum, Sodalitas Opificum iuvenum, Jonge Werkman, etc.) numerus selectus aderit iuvenum egregiorum qui ceteris exemplo antecellant.

De Congregatione iuventutis ruralis.

1. Dum iuventus ruralis scholas populares frequentat, desiderium sactificationis sui, amor proximi, devota addictio erga Ecclesiam in iis foveantur ab institutoribus scholarum Catholicarum (Cruciata Eucharistica).

2. In praeparatione ad Communionem quam " ultimam solemnem " dicere solent (1) juventuti quam maxime inculcetur, ut sese unioni alicui mere religiosae aggregent, in qua specialis cura habeatur iuvenum a scholis iam vacantium.

3. Uniones illae mere religiosae maximi habendae et promovendae sunt a Directore; optimi parochianorum sint Sodales; indigni arceantur, ita ut iis qui Sodalitati nondum adscripti sunt, Congregatio bonum appetibile fiat, parentesque magni ducant filios filiasque illi esse adscriptos.

4. Quod a Constitutionem Sodalitatum ruralium attinet, propter nimiam frequentiam exercitationum piarum et nimios cleri labores, bis tantum in mense conventus cogendi sunt. Quod ad Sodalitatem frequentandam spectat, in annotandis omissionibus culpabilibus ratio habeatur tempestatis, viarum, hiemis, obscuritatis. (Tempore hiemali conventus maturius fiant!). In Sectionibus constituendis talis respectus habeatur ad diversas pagorum partes vicinales, ut in adiuvandis morbidis et sepeliendis mortuis officia caritatis facile praestari possint et correspondeant cum officiis illis quae vicini inter se conferre solent. Sic externi facile videbunt in Sodalitate Mariana revera florere caritatem fraternam.

5. Quod si fieri potest, sit parva Congregatio separata pro iuventute quae quidem a scholis jam vacat, sed nondum aetatem 16 annorum attigit. Singulis hebdomadis conveniant et adscripti sint Patronatui.

Ut ex ipso hoc programmate elucet, Patres in Neertandia maxima cum circumspectione et accurata rerum tractatione res sodalitias curant et adornant.

De iubilaeo tercentenario Sodalitatis civium Aschaffenburgensium

Congregatio Mariana civium Aschaffenburgensium, ab Archiepiscopo et Principe Electore Suicardo et P. Ioanne Falco S. J. 1621 fundata, 15 Martii 1625 Primae Primariae aggregata est. Iubilaeum tercentenarium eo magis celebrandum erat, quod Sodalitas est hodiedum unio virorum et religionis et exemplaris vitae dotibus insignium.

Sollemnitati externae ab Episcopo loci 17 Maii destinatus erat. Duplex praeparatio necessaria videbatur,

(1) Eodem tempore quo antea habebatur prima sancta Communio Eucharistica, nunc in Neerlandia instituitur solemnis aliqua Communio quae vocatur " ultima solemnis „. Coincidit autem cum absolutione instructionis catecheticae parochialis.

altera externa, altera interna. Huic satisfactum est per exercitia spiritualia a 800 fere viris frequentata. Externa autem facta est per libellum a Praeside conscriptum, quo historia Congregationis Sodalibus nota fieret eius amor augeretur, zelus imitatione maiorum foveretur.

Iam gaudium omnium animos implevit, cum legerent epistolas gratulatorias e Vaticano et ab A. R. P. N. Generali datas. In magistratus sessione decretum erat, iubilaeum modo mere religioso esse peragendum. Hinc Sodales mane hora 6,30 in Ecclesia olim Societatis congregati sunt. Rev.mus Ep. Herbipolensis sacrum litavit et una cum Exc mo Archiepiscopo Bambergensi sacram synaxin distribuit. Ecclesiae aditus solis viris licuit dabantur autem 750 communiones. Iam ab hora 6 nullus erat locus, quare multi in aliis ecclesiis s. communionem acceperunt. Hora 9 Sodales iterum convenerunt in Ecclesia principali. Post sollemnem Archiepiscopi ingressum Ordinarius loci populum allocutus est. Enucleate disseruit Sodalitatem fuisse scholam fidei, bonorum morum, apostolatus, multa in S. J. Patrum honorem dixit; sese Sodalem fidelem confessus est. Sequebatur Missa sollemnis ab Archiepiscopo celebrata, cui licuit in fine dare Benedictionem Apostolicam. Post meridiem hora 2 iterum conveniendum erat; Exc.mus Archiepiscopus Sodalitatis Protector sermone ostendit, quomodo tota Sodalium vita per Congregationis regulas et officia in finem sanctum dirigatur. Concione facta 125 recentes Sodales suscepit. Cantatur toto animo "Te Deum"; gratiae actae pro innumeris trium saeculorum per Mariam acceptis beneficiis. Vespere denique Sodalium familiae congregatae sunt in aula unionis catholicae "Leseverein" quae et ipsa vocari potest Sodalitatis filia. Hac maxime occasione videri potuit gaudium et magna matronarum ac filiorum filiarumque aestimatio: Ecce viri, ecce patres nostri, qui publice portant signum Sodalitatis! Unus Sodalium, Praeses fori criminalis, hospites salutavit et Sodalitatis fines apostolicos exposuit, dum alter orator, parochus Hock, olim Director, Sodalitatis historiam breviter tetigit, qua demonstratur Sodalitas civium Aschaffenburgensium semper altae vocationis memor fuisse. Neque mortuorum memoria negligenda erat; quare sequenti die Rev.mus Praepositus Eccl. Cathedralis Missam de Requiem celebravit, cui iterum permulti intererant et sacram synaxim sumpserunt.

Complementi gratia liceat pauca addere de aliis Congregationibus nostris. Utinam virorum iuvenum Sodalitas reviviscat! Sed hucusque omnes conatus incassum abierant. Maiori Directoris consolationi erant adolescentes gymnasii et scholae realis. Gymnasii Sodalitas anno 1912 restituta a sacerdote saeculari directa erat, sed hoc anno nostrae moderationi tradita est. Ab initio difficultas erat conciliandi Sodalitatem cum variis vulgo dictae "Jugendbewegung" unionibus. Placuit tamen Congregationem tam trium saeculorum historia, quam Superiorum laude et approbatione commendatam solam retinere. Et ecce hinc floret, 50 recentes Sodales ei nomen dederunt. Conventus habentur 14° quoque die ter divisi, sc. alumnorum convictus, maiorum et minorum in urbe habitantium. Sacra communio singulis mensibus praescripta a plurimis octavo quoque die sumitur, apostolatus gratia generatim inter Missam quam dicunt scholarem.

Recentior est Congregatio scholae realis. Multus erat fervor colligendi pecunias pro vexillo. Quod imaginibus B. V. et S. Io. Berchmans illustratum initio Maii benedictum est. Ut autem benefactoribus gratificarentur, ludum scenicum "Dies irae" a professore scholae realis compositum protulerunt. Etiam huius Sodalitatis conventus dividendus videbatur. Ut autem spiritu genuino Congregationis imbuerentur, maioribus una cum aliis huius regionis Sodalibus triduana exercitia in seminario Lohe tradita sunt. Congregantur autem in Sodalitate iudicio professorum discipuli fere omnes, qui bonis moribus excellunt. Iam extra conventus cotidie aliqui apud P. Praesidem conveniunt et cum illo de suo in litteris et moribus profectu colloquuntur. Hinc sperare faustissima quaeque et augurare Sodalitatibus nostris licet.

G. W.

Academia Mariana Scholasticorum nostrorum in Valkenburg. Quamquam ob studiorum et seminariorum (circulorum theologicorum) labores non est valde facile, multum tempus Academiae Sodalitiae Scholasticorum dari, nihilominus Academia hoc anno scholari melius quam priore evolvitur. Pro principio nobis est conventus potius numero pauciores, sed optimos habere. Etiam Patres usu ministeriisque veteranos invitare solemus ad unam alteramve conferentiam nobis habendam, Sic ipse R. P. Rector acceptavit unam; P. Christ autem qui noster Professor homileticae est, loquetur de modo in Sodalitate exhortandi, praesertim de themate Mariano. P. Gemmel, Professor ethicae, antea autem ministeria agens in urbibus magnis, locutus est de "problemate parochialitatis vel interparochialitatis Congregationis", quod practica discussio sequebatur, cui etiam in recreationibus sequentibus vix finis erat.

Sociorum quoque Academiae nostrae numerus crevit Cum anno elapso 12 tantum fuerint, hoc anno 22 Scholastici se obligarunt ad constanter in Academia laborandum. Sed praeter hos etiam alii satis de more ad conventus veniunt, numero fere 35-40. Ephemerides sodalitiae prius per aliquot dies In aula recreationis exponuntur, deinde inter solos Academicos circumeunt, ut quietius legi et excerpi possint. "Acies Ordinata" rogatu nostro in refectorio legi solet; diebus autem feriationum circulus quidam arctior res in hac ephemeride tractatas inter se accuratius discutit.

H. G.

Hawthorn (Melbourne) in Australia. Irrepserat hic apud puellas consuetudo, quem abusum sincerius dixeris, turbatim advolandi ad Sodalitatem dum apud Sanctimoniales scholis exercerentur, sed etiam turbatim deserendi Mariana vexilla, cum e claustris discessissent. Cui abusui fortiter obviam iverunt P. Peifer aliique id edicentes, ne quaequam Sodalitati iusiurandum daret nisi "for ever", id est perpetuo, ratum sibi esse promissum vellet. Revera apud iuventutem, maxime femineam, inter moniales adolescentem, nihil cavendum magis occurrit, quam ne ob respectus tantum humanos et exteriore dumtaxat necessitudine pietatis opera colant, omnia a se reiecturae cum e claustris liberatae fuerint.

Urgent nunc Episcopi Australiae curandam etiam laicis esse necessitatem spiritualem Catholicorum in pagis dissitissime dispersorum (diasporae nomen est), ad quos raro tantum sacerdotes accedere possunt, cum aliquando

una parochia ad 5000-15,000 quadrata milometra (English mils) contineat cum 300-500 Catholicis dispersis. Cui necessitati Sodales Mariani prae ceteris providere apostolatu laico et sacerdotes adiuvando conabuntur. (Simile quid dici potest de diaspora Europae septentrionalis, ubi una parochia aliquando usque ad 700 pagos continet et Catholici per horas curru ferreo vehi coguntur si Missae interesse volunt!)

Chile. *Congregatio Mariana in omnibus parochiis dioecesis ab Episcopo praescribitur.* Quanti aestiment utque elogiis ornent Sodalitatem Marianam Episcopi Chilenses, ex uno disce exemplo Ill.mi Episcopi in Chillán, Mons. *Rücker*, qui nuper litteris pastoralibus praescripsit, ut in qualibet parochia dioecesis suae pro iuventute inprimis masculina Congregationes erigerentur. " Inter media salutis – inquit – Congregationes Marianae excellunt fructusque edunt abundantes, magnificos, consolantes. Non est hic in litteris pastoralibus satis amplus locus ad efficaciam admirabilem Sodalitatum evolvendam; satis sit affirmare, quod ubicunque vigent, iuventus exsurgit pia, elevata, insignis, pulcherrimarum virtutum plena. Integrae civitates sunt quae, ex quo tempore Congregationes in eis refloruerunt, renovatae omnino redditaeque religioni sint ".

Peregrini Sodales Romae. Non cessant peregrinationes venire Sodalium in Urbem. Prae aliis memoriae mandanda videtur peregrinatio Sodalium artibus industrialibus operam dantium ex urbe *Lugduno* (Lyon, Galliae). Ii enim, quibus quisque artibus callebant, dona tulerunt cum Summo Pontifici, tum Patri Nostro, supremo Congregationum Praesidi, arte ac marte propriis elaborata. Advenerunt deinde Universitatis Catholicae *Lovaniensis* studiosi cum Patre quodam nostro. *Treviris* ad 500 Sodales utriusque sexus venerunt et in itinere tumulum S. Petri Canisii Friburgi Helvetiorum visentes telegraphice inde Patrem Nostrum salutaverunt; quibus deinde Romam advectis Pater Noster in templo Iesu missam dixit, S. Synaxi eos pavit numismatisque donavit. Inculcavit eis nervosa magis quam verbosa oratione, uterentur magna illa et manifesta hominum siti ad religionem versus ubique hodie sese manifestante, ad animos hominum solidae fidei catholicae haustu reficiendos, cui fini actio imprimis vere religiosa inserviret, qualem Congregatio prosequeretur.

Havana, Cubae. *Iubilaeum Congregationis iuvenum.* Congregatio haec a die 10 Ian. 1875 originem ducit in Collegio nostro de Betlehem dicto. Felici huic memoriae lustra decem recolenti album dicaverunt Sodales, cui titulus: " *Las Bodas de Oro de 'La Anunciata'* ". Quo libro historia annorum singulorum exhibetur. Anno 1830 invisere Sodales carcere ac nosocomiis detentos coeperunt. 1881 initium Catechismo explicando in asylo quodam datum. 1905 Sectio instituitur prelo sano propagando. 1908 editur historia decem annorum catecheseos. 1911 ex-alumni scholae catecheticae societatem ineunt. 1913 schola vespertina operariis pauperibus erudiendis statuitur. 1922 laudes P. N. acceperunt ob opera superius dicta. Primi Congregati anno 1875 numero 40 erant; nunc ad festa iubilaei celebranda ad 500 concurrerunt. Director nunc est P. Georg. Camarero.

TELEPHONIUM

Satisfaciendum duximus desiderio nobis manifestato, *ut chronica pars periodici nostri magis evolvatur.* Iuverit enim ea quae theoretice satis iam ample disseruimus, exemplis fulcire, quidque Sodalitatum nostrarum Directores tentent molianturque fraterna narratione accuratius referre. Rogamus igitur Directores, mittant de suis Sodalitalibus, quidquid aedificare vel instruere alios posse putent.

Forma ac materia. Multi laudant Aciem nostram modestam, confortari se inde, imo edoceri (qua sunt animi demissione) aiunt. Id tamen nolint oblivisci quaesumus, etiam Aciem nostram, ut quemvis exercitum, mediis materialibus quoque alendam esse. Subscriptio obligatoria utique nulla a nobis indicta est, sed oboli seu dona grate accipiuntur, imo instanter rogantur. Si unaquaeque nostra Congregatio medio numero 10-20 Libellas italicas Directori ad hunc finem quotannis offerret, expensas solvere possemus. Oboli, quos nunc accipimus, proh dolor, vix ad signa postalia quidem solvenda semper sufficiunt. " Forma dat esse rei ", Scholastici aiunt; sed mihi credite, clarissimi Lectores, in rebus huius mundi forma sine materia parum valet.

" **Tra noi** ". Optime omnino editur folium Sodalium tempore feriarum, quod Sodales adolescentes etiam illo tempore cum Directore coniungat.

Gratias pro obolis (quatuor mensium): P. H. M. Pelotas L. 367,60. — P. J. R. Zamboanga doll. 5. — Cienfuegos, Cuba L. 400. — P. D. Tournai L. 110.60. — P. Q. C. et P. I. L. C. Madrid L. 110. — P. J. I. Amsterdam L. 91. — P. A. S. Czernauti L. 11,60. — P. M. C. Cordova (Arg) L. 100 — P. L. G. Ruzomberok L. 68.

LIBRI NOVI

Eduard F. Garesché S. J.: **Sodality conferences.** Second Series, Benziger and Co. New York.

Hoc volumine P. Garesché pergit explicare Regulas, usus, operaque pia Congregationis, lingua et stylo facili, exemplis practicis singulas quaestiones illustrando.

Adalbert Bangha S J.: **Das zeitgemaesse Laienapostolat und die Marianische Kongregation.** Muenchen, Theatiner-Verlag, 1925.

Editor Aciei Ordinatae hoc libello 64 paginarum relationem explicat inter " apostolatum laicum contemporaneum et Congregationem Marianam ". Versionem huius libelli, quae pars est maioris operis mox edendi (" Manuale apostolatus contemporanei "), Patres quidam Hispani in hispanicum idioma curandum iam susceperunt. Venum it libellus in domo editoriali ut supra exhibetur; pretium est 1 marca germanica.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Cuzio Coclite, 50-A